

Babylonii rex Lydorum Croesus, cuius opes et divitiae insignes ea tempestate erant, in auxilium venit; victusque jam de se sollicitus, in regnum refugit. Cyrus quoque post victoriam, compositis in Babylonia rebus, bellum transfert in Lydiam. Ibi fortuna prioris praelii perculsum jam Croesi exercitum, nullo negotio fundit: Croesus ipse capitur. Sed quanto bellum minoris periculi, tanto et mitior victoria fuit. Croeso et vita, et patrimonii partes, et urbs Barce concessa sunt: in qua etsi non regiam vitam, proximam tamen majestati regiae degeret. Haec clementia non minus victori, quam victo, utilis fuit. Quippe ex universa Graecia, cognito quod illatum Croeso bellum esset, auxilia velut ad commune extingendum incendium confluabant. Tantus Croesi amor apud omnes urbes erat: passurusque Cyrus grave bellum Graeciae fuit, si quid in Croesum crudelius consuluisset. Interjecto deinde tempore, occupato in aliis bellis Cyro, Lydi rebellavere: quibus iterum victis, arma et equi adempti, jussique cauponias, et ludicas artes, et lenocinia exercere. Et sic gens industria quondam potens, et manu strenua, effeminata mollitie luxuriaque, virtutem pristinam perdidit; et quosante Cyrum invictos bella praestiterant, in luxuriam lapsos otium ac desidia superavit. Fuere Lydis multi ante Croesum reges, variis casibus memorabiles; nullus tamen fortunae Candaulis comparandus. Hic uxorem, quam propter formae pulchritudinem deperibat, praedicare omnibus solebat, non contentus voluptatum suarum tacita conscientia, nisi etiam matrimonii reticenda publicaret: prorsus quasi silentium damnum pulchritudinis esset. Ad postremum ut affirmationi suae fidem saceret, nudam sodali suo Gygi ostendit. Quo facto et amicum, in crimen uxoris sollicitatum, hostem sibi fecit: et uxorem, veluti tradito alii amore, a se alienavit. Namque brevi post tempore caedes Candauli, nuptiarum praemium fuit, et uxor mariti sanguine dotata, regnum viri et se pariter Gygi tradidit.